

Heinrich Schuckmann Alexander Kirchmann

## **Disputatio Iuridica De Emptione & Venditione**

Rostochii: Kilius, 1640

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731842618>**

Druck Freier  Zugang



Kauf und Verkauf

R. U. jur. 1640.

Schuckmann - Kirchmann

Verf.







DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
EMPTIONE & VEN-  
DITIONE,

102

*Quam*

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

*Magnifici, Amplissimi & Consultissimi VIRI*  
Dn. HINRICI SCHVCK-  
MANNI J. U. D. & RECTORIS  
p. t. hujus Academiæ, ejusdemq; Professoris  
Celeberrimi, Præceptoris & Fautoris  
sui pl. honorandi,

*Publicæ disquisitioni submitte*

ALEXANDER KIRCHMANNUS

*Ad diem 1. Augusti,*

*In Auditorio Majori horis matutinis.*



ROSTOCHII,

*Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.*

*ANNO M. DC. XL.*

1640



DEPARTMENTO JURISCA

EMERSONE & VERN

BITONE

D. O. M.

1850

1850

DEPARTMENTO JURISCA

EMERSONE & VERN



DEPARTMENTO JURISCA

EMERSONE & VERN

ALEXANDER KIRCHMANNIS

1850

1850

1850

1850

1850

1850

1850





**U**m omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, à Definitione proficisci debeat, ut intelligatur, quid sit, de quo agitur, secundum Cic. lib. I. off. nos quoq; implorato prius Divini Numinis auxilio, nostram Disputationem à Definitione exordiemur.

I.

**E**st autem Emptio - Venditio contractus juris gentium §. 2. Inst. de jure N. G. & C. nominatus l. 7. §. 1. ff. de pactis. bonæ fidei. §. 28. Inst. de Act. solo consensu constans arg. pr. Inst. de Oblig. ex cons. de re Emptori tradenda & pretio in pecunia numerata venditori dando.

II.

Dico eam solo consensu constare, non quod rem nullam complectatur. l. nec emptio. 8. de contrah. Empt. sed quia potissimum consensu perficitur, quamvis res in præsentia nulla interveniat. l. 2. §. 1. ff. de obl. & Act. Cum econtrario contractus reales, ut: Mutuum, depositum, Pignus &c. sine rei interventu perfici nequeant: etiam si secundo consensu contrahentium in his desideretur, citra quem nullus contractus unquam celebrari potest, l. 1. §. 3. de pactis.

A 3

III. Ad



### III.

Ad Essentiam igitur Emptionis- Venditionis necessariò requiritur consensus *l. 9. ff. h. t.* qui versatur circa rem seu mercem. *d. l. 8. ff. eod. & pretium l. 2. §. 1. d. t.* Unde si vel in ipsa Emptione vel in pretio, vel in alio contrahentes dissentiant, Emptio- Venditio imperfecta est *d. l. 9.*

### IV.

Distinctionem tamen recipit, quod dictum est, dissensu Emptionem- Venditionem vitari. Nam error seu dissensus committitur vel in corpore vel in rei qualitate. Si in ipso corpore contrahentes dissentiant, Emptio- Venditio simpliciter nulla est *d. l. 9.* Si in rei qualitate error commissus sit, subdistinguentum.

### V.

Aut enim non in totum in materia, quæ venit erratur & contractus quidem subsistit, sed venditor tenetur ad id, quod minus præstitit, *l. 21. si sterilis. §. 2. de Act. Empt. & Vend.* Aut plane alia est materia & Emptio- Venditio non subsistit, ita ut, quod datum est, condici queat. *l. 41. §. 1. ff. h. t.*

### VI.

Porro ad perfectionem Emptionis- Venditionis requiritur ut consensus contrahentium versetur circa rem, quam habere, vel possidere vel persequi possumus *l. 34. §. 1. h. t.* siue ea sit corporalis siue incorporalis *l. 47. h. t. t. t. C. de hered. vel act. vend.* siue propria siue aliena *l. 28. h. t.* siue in rerum natura jam existat, siue futura adhuc speretur *l. 8. §. 1. h. t.*

### VII.

Illæ autem res, quas vel Natura vel jus Gentium, vel mores Civitatis commercio exuerunt, ut sunt: res sacræ, sanctæ, religiosæ, liber homo &c. inutiliter venduntur *l. 34. §. 1. h. t. l. 6. in pr. l. 70. eod.* nisi ab ignorante emanant: quo casu Emptio- Venditio

tio



tio duntaxat subsistit, ut emptor qui ejusmodi rem à Venditore de-  
ceptus emit, habeat actionem ex empto, per quam consequatur  
quod sua interest, eum deceptum non esse *l. fin. Inst. h. r.*

### VIII.

Quædam res licet commercio exempta non sint, ob publicam  
tamen utilitatem vendi prohibentur, ut Arma hostibus Romani  
Imp. sub poena capitis & confiscationis bonorum, *l. 2. C. quæ res ex  
portari non deb.* Sic frumentum exercitui missum ab aliis emi non  
potest, in e mentes vel capitis poena, vel proscriptionis vel amissio-  
nis bonorum constituta *l. fin. C. quæ res venire non poss.*

### IX.

Venena quoque quæ talia & quatenus nocent, vendi prohibi-  
tum est: Quatenus autem per adjectionem aliarum materialium  
Salvatoria facta sunt, eorum venditio permittitur *l. 35. §. 2. ff. h. r.*

### X.

Præterea licet res, quæ vendi non prohibetur, in contra-  
ctum deducta sit, non statim tamen Emptio-Venditio perfecta  
est: Nam ut ex illa cum effectu agi possit, oportet ut contrahen-  
tes consentiant purè, & non sub certâ conditione. Conditiona-  
les enim Venditiones non prius perficiuntur, quam conditio ad-  
impleta fuerit. *l. 7. in pr. ff. h. r.*

### XI.

Unde si vinum vel oleum certo pretio ad certam quantita-  
tem ematur, non prius emptum erit, quam fuerit gustatum & ad-  
mensum. Et hoc de reliquis rebus, quæ pondere, numero &  
mensura constant, dicendum est. *l. 35. §. 5. ff. h. r.* ut in his non  
prius periculum in Emptorem transeat, quam si ad mensuram, ad-  
pensuram & adnumeratam sint *l. 1. §. 1. ff. de peric. & comm. rei vend.*  
quod certè non fieret, si Emptio-Venditio perfecta esset *§. 3.  
Inst. h. r.*

A 3

XII. Pre-



## XII.

Pretium deniq; quod essentiam hujus contractus necessa-  
riò requiri diximus, à contrahentibus constitui debet: idque in  
pecunia numerata consistere, certumq; & definitum esse oportet.  
*§. 1. C. 2. Inst. b. t.*

## XIII.

Certum autem pretium in LL. vocatur non solum id, cujus  
certa quantitas vel verbis disertè exprimitur, veluti: centum au-  
reis fundum hunc tibi vendo: sed etiam cujus quantitas re ipsa cer-  
ta est, & ex eo, ad quod facta est relatio, certò cognosci potest.  
*arg. l. 6. ff. de reb. cred.*

## XIV.

Sed & quæsitum fuit, si inter ementem & vendentem ita con-  
venerit; ut quanti Titius rem æstimaverit, tanti sit empta, Utrum  
Emptio - Venditio perfecta esset an non? Et Justinianus post vete-  
rum dubitationem, ita demum hunc contractum valere voluit,  
si is, in cujus arbitrium pretij definitio collata est, pretium defini-  
verit. *§. 1. Inst. b. t.*

## XV.

Sic uti etiam, ut Emptio Venditio in scriptis celebretur, in-  
ter contrahentes conveniri potest; quo casu non aliter perfecta  
censetur, nisi omnes suas completiones in *l. contractus 17. C. de fide  
Instrum.* expressas acceperit: Ita quoq; res in diem addici potest,  
hac lege, ut emptoris sit, nisi quis intra certum diem supra adje-  
cerit. *l. 1. ff. de in diem adject.*

## XVI.

Fit autem Addictio in diem vel purè, quæ tamen sub conditio-  
ne resolvitur, quando scilicet hoc inter contrahentes actum est, ut  
meliore allata conditione, à perfectâ Emptione discedatur; vel  
con.



conditionaliter, ut Emptio Venditio perficiatur, nisi melior conditio offeratur *l. 2. ff. de in diem adject.*

## XVII.

Effectus hujus distinctionis proponitur in *l. 2. & seq. d. 2.* Quoties enim pura est venditio, quæ sub conditione resolvatur, hunc, cui res in diem addicta est, & usucapere posse, & fructus & accessiones lucrari, utile etiam interdictum; Quod vi aut clam habere, periculum denique, si res interierit, ejus esse Julianus respondet. *d. l. 2. §. 1. & l. 4. §. 4. d. 2.* Ubi verò conditionalis est venditio, negat Pomponius eum usucapere posse, nec fructus ad eum pertinere. *d. l. 4. in. pr.*

## XIIX.

Melior conditio adferri videtur, si vel pretio aliquid addatur, vel solutio facilior aut maturior offeratur, vel locus opportunior pretio solvendo dicatur, vel persona idoneior ad Emptionem accedat. *l. 4. §. fin. d. 2.* Et generaliter, quicquid ad utilitatem Venditoris pertinet pro meliore conditione habetur *l. 5. d. 2.*

## XIX.

Liberum igitur est Venditori meliore allata conditione posteriori addicere, nisi prior plus, quam ante obtulit, adjicere paratus sit; *l. 7. d. 2.* quo casu necesse habet venditor priorem emptorem certiore facere, ut si quid alius adjicit, ipse quoque adjiciat. *l. 8. d. 2.*

## XX.

Amplius Lex Commissoria huic contractui rectè apponitur, quæ agit, ut, si in statutum diem Emptor pretium non exsolverit, res pro inempta habeatur *l. 4. ff. de Leg. Commiss.*

## XXI.

Commissa hac pactione, quod fit, si emptor etiam non interpellatus pretium statuta die non offerat *l. 4. §. fin. d. 2.* in potestate.



state venditoris est utrum jure suo uti, & contractum resolvere, an pretium petere malit l. 3. §. 4. §. *eleganter. d. t.* Alterà tamen vià electà amplius variare nequit d. l. 4. §. *eleganter*

## XXII.

Potest etiam hac conditione res vendi, ut velipse Venditor vel ejus heredes quocumq; vel intra certa tempora, secundum conventionis legem, oblato pretio, rem redimant: quod pactum de Retrovendendo vulgò appellatur. l. 2. C. *de pact. inter Empt. & Vend.*

## XXIII.

Emptione Venditione in dictum modum contractà, duplex oritur effectus: 1. Omne periculum & commodum rei venditæ ante factam quoq; traditionem statim ad Emptorem pertinet. §. 3. *Inst. h. t.* Quicquid enim sine venditoris dolo, culpa, & custodia, qualem bonus paterfam. rebus suis adhibet, neglectu accidit, in eo venditor se curus est. l. 37. §. 4. *h. t. d. §. 3. Inst. h. t.*

## XXIV.

2. Ab Emptione Venditione perfectà nullo tempore, invitâ alterâ parte recedere licet. l. 3. C. *de rescind. vend.* etiam si venditor arrhas duplicatas restituere, & Emptor id, quod arrhæ loco dedit, perdere velit. Absurdum enim esset, ut propter arrhas, quæ plerumq; in re minima consistunt, contractus super re pretiosa & magnivolaris irritetur. *Bachovius in Treut. vol. 1. disp. 28. rh. 8. b.*

## XXV.

Ex hoc Contractu duæ oriuntur Actiones, Empti sive ex Empto, & venditi sive ex vendito, quarum utraq; est bonæ fidei, ad heredes transitoria & directâ; cum enim hic contractus utriusq; gratia ineatur, meritò hinc inde æqualis, neq; alterius conditio melior esse debet *Wesemb. in parat. ad Tit. de contrab. Empt. num. 1.*

Actio-



## XXVI.

**A**ctione Empti sive ex Empto agit Emptor ejusq; heredes, adversus venditorem & ejus heredes ad consequendam rem & quidem vacuum *l. 2. in pr. & §. 1. ff. de Act. Empt. & Vend.* una cum his quæ ex bono & æquo proveniunt *l. 11. d. 1. veluti cum fructibus & accessionibus à tempore contractus perceptis l. 13. §. 10. & 13. ff. de Act. Empt. & Vend. & l. pen. C. eod.*

## XXVII.

**A**n autem Venditor vel alius debitor qui ad certæ alicujus rei traditionem obligatus est, rem præcisè tradere teneatur, an verò præstando interesse liberetur? inter Dd. non convenit. Et licet nonnulli putent, Venditorem præstando interesse liberari, nobis tamen contrarium verius videtur, statuentibus, illum, si facultatem tradendi habeat, ad rem præcisè tradendam cogi posse. *l. 11. §. 2. ff. de Act. Empt. & Vend. Cujac. lib. 1. de feud. tit. 1. vers. si verò Archiepiscopus.*

## XXVIII.

**P**ræterea hac Actione Emptor de Evictione & Redhibitione experiri potest. *l. 11. §. 2. & 3. d. 1. de Act. Empt. & Vend.* Et generaliter, quicquid venditor in hoc contractu Emptoris causa machinatur, simulat aut dissimulat, in totum corrigit hæc actio, & indemnitatem præstat Emptori. Omnia enim, ut ait Jctus *l. 1. §. 1. d. 2.* quæ contra bonam fidem fiunt, veniunt in Empti actionem.

## XXIX.

**I**llud autem probè notandum est, non prius ad hanc actionem admitti Emptorem, quam ex sua parte contractum impleverit & pretium solverit, vel, quod idem est, obtulerit. *l. 13. §. Offerri. d. 2.* Nam cum ab Emptore hic contractus initium habeat, æquitati congruit, ut ab illo primum impleatur. *l. 19. ff. de Contrab. Empt.*

B

xxx. Actio



## XXX.

Actio Venditi competit Venditori ad consequendum imprimis rei pretium *d. l. 13. §. 20. de Act. Empt. & Vend. & usuras, quæ ex mora in omnibus bonæ fidei judicijs debentur, & si quos sumptus in rem venditam fecerit, ut eos recuperet, d. l. 13. §. 22 eod. & deniq; ad implendum & præstandum id, de quo inter contrahentes convenit, vel quod fert natura hujus contractus d. l. 13. §. 19. cum seqq. eod.*

## XXXI.

Postremò cum nihil tam naturale sit, quam ut eodem genere quid dissolvatur quo colligatum est. nihil tam naturale, de R. J. necessario sequitur, Emptionem Venditionem, quæ nudo consensu contrahitur, contrario consensu, re adhuc integra dissolvi. *l. 58. de Racti.*

## XXXII.

Secundò rescinditur hic contractus, si alter alterum ultrà dimidium justij pretij decepit. *l. 2. C. de rescind. Vend.* Nam etsi quidem contrahentibus permissum est non solum in Emptione Venditione sed etiam in cæteris bonæ. contractibus se invicem decipere *l. 16. §. pen. ff. de minorib. l. 22. §. ult. Locati.* intelligendum tamen hoc est, quando deceptio re ipsa & facto contingit, non quando ex contrahentium dolo & machinatione. Dolus enim qui contractui ex proposito inest, reddit eum ipso jure nullum. *l. datum. 57. §. 1. ff. de contrab. Empt.*

## XXXIII.

Tertiò deniq; dissolvitur propter jus congrui & *πεποιήσεως*, quò permittitur certis personis, parentibus, consanguineis, socijs & vicinis rei in extraneum factæ alienationis revocatio. Hoc jus ex jure divino primum originem traxit. *Levir. 25. v. 25.* Postea ab Imp. Friderico novis constitutionibus confirmatum *lib. 5. feud. 13.* in multis Germaniæ locis usu & Consuetudine comprobatum est.

*Myns. Cent. 3. obs. 51. Gail. 2. obs. 19.*

Corol-





## Corollaria.

An, illi qui publicam disputationem pro summo gradu in jure consequendo habuerunt, neque in Doctorem vel Licentiatum solemniter promoti sunt, titulo Licentiatum ejusdemq; privilegij & immunitatibus jure gaudeant? N.

B 2

An



An merces Locationis in  
pecunia numerata con-  
sistere debeat, an verò  
sufficiat alias res fungi-  
biles loco mercedis dari?

*Priorem sententiam amplectitur Schneid-  
winus in S. præterea Inst. de Locat.  
Conduct. Mozzius de contractib. tit. Lo-  
cati. Col. 2. n. 14. Contrarium v. tenet*

*Wesemb. Cujacius & alij. Nos po-  
steriori opinioni no-  
strum calculum adijci-  
mus.*

An Legitimati per subse-  
quens Matrimonium in  
feudis succedant? Aff.

AD






AD

Dn. RESPONDENTEM.

**D**Um KIRCHMANNE doces, quae  
sint Vendentis - Ementis  
Fura, salutifero fonte petita suo:  
Ingenij fructum vendis, capturus honores,  
Quos Themis in pretium conferet alma tibi.

Heinrich Schuckmann  
J. D. Professor &  
p. t. Academiae Rostochiensis Rector.



**Q**uisquis emat pretio merces, fun-  
dosq;, domosq;,  
KIRCHMANNUS studio, quod  
sibi profit, emit.

B 3

Scilicet



Scilicet hic curâ non - defessoq; labore,  
Quod post cum multo fœnore vendat, emit.  
Felix hoc Justi studio KIRCHMANNUS!  
& opto,  
Hoc quisquis justo iudice vendat emat.

Johannes Vossius.



*Prestantissimo ac Eruditissimo,*  
Dn. RESPONDENTI,  
Sympatriotæ, Commensali,  
& Contubernali suo in paucis  
charo.

**D***Um sua Mars se vis exercet jura sub  
armis,  
Non cessare diu vult ignavusq; latere  
KIRCHMANNUS gnarâ referens virtu-  
te parentem:*  
*Esto, sopitis bellis quod Martis alumni  
Munera vulneribus sudoreq; digna reportent;  
Vilia KIRCHMANNO sunt hæc, certa-  
men honoris*

*Cernere*



Cernere præ reliquis iuvat, & plaudente Lyceo  
Exserere ingenij vires, quò præmia palma  
Sperata tandem lætâ cum mente capeſſat,  
Laudo tuos ausus, fauſtâ ſint alite capti  
Comprecor, & ſtadio ſtudiorum ritè peractò  
Mox, KIRCHMANNE, viam ſternant  
ad culmina laudum?

Amoris & honoris ergò ſic ap-  
plaudit

Bernhardus Weſtken  
Lubecenſ.





Compositore Johanne Ludovico  
Mors, Rostockiensi  
Amore & honore ergo  
Benedictus Welken  
Liber

















AD

Dn. RESPONDE


**D**Um KIRCHMAN  
sint Vendentis -  
Fura, salutifero font  
Ingenij fructum vendis, capturu  
Quos Themis in pretium conf

Heinrich S  
J. D. P  
p. t. Acc  
stochie



**Q**uisquis emat pretio  
dosq; , domo  
KIRCHMANNU  
sibi profit, en

B 3



the scale towards document